



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra sententia proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

substantia ut ens est, non continetur accidenti: ergo. Vltimo, quia si daretur is conceptus esset univocus, quod implicat: ergo. Hæc pene ad verbum Mañius.

9 Pater autem Rubens tractatu de analogia, n. 28. negat sequutus Ferraram 1. contra gentes, cap. 34. conceptum formalem entis esse unum. Movetur;

10 Primo, quia analogum convenit cum æquivoco in eo quod significat multa simpliciter diversa; sed auditò nomine æquivoco elicit intellectus diversos conceptus formales propter diversitatem significatorum: ergo & auditò nomine analogo.

11 Secundo, quia unitas conceptus formalis sumitur ex unitate conceptus obiectivi per illum representati; sicut unitas imaginis ex rei representatæ unitate; sed conceptus obiectivus entis non est unus: ergo nec formalis.

12 Neutrum urget; non primum, quia maior est falsa; non secundum, quia veritate caret. Vtrumque tamen patet ex dictis supra.

13 Alia sententia negat; dari unum conceptum formalem entis; quia iudicat, creaturam, & Deum, substantiam, & accidentia in ratione entis nec analogice; nec univocè convenire; sed solum æquivocè, cum autem omnia æquivoca non possint univocè conceptui, sed pluribus; licet uno nomine significari, & representari; inde evenit, ut nequeat dari unus conceptus entis formalis terminatus ad Deum, & creaturas representans illa obiecta sub ratione entis.

Hæc sententia probatur, quia magis distant Deus, & creatura in ratione essendi, & habendi essentiam, quam sydus, piscis, & animal latrabile; quæ nomine canis significantur; atqui hæc propter diversitatem essendi, & distantiam in habendo essentiam, sunt æquivoca, & quia talia sunt, non possunt univocè conceptui formali significari: ergo à fortiori, quia Deus, & creatura maiorem diversitatem, & distantiam habent in essendo, erunt æquivoca; nequebuntque univocè conceptui formali representari.

15 Sed opinio hæc tanquam delirium rejicitur ab omnibus; nam ex supra dictis evidenter patet, Deum, & creaturam essentialiter convenire in ratione essendi; ita ut tam creatura, quam Deus sint essentialiter entia; & simpliciter talia debeant nominari, & ut sic concipi: unde in ratione indivisibili essentia metaphysice uniuntur; & sic in illa ratione representari possunt.

SECTIO II.

Nostri sententia proponitur.

16 Prima conclusio, conceptus formalis entis est unus, & præcisus secundum rem, & rationem à conceptibus formalibus accidentis, & substantia. Hæc conclusio est communis iam, & probatur.

17 Primo, quia ille conceptus non representat realiter substantiam & accedens; Deum & creaturam; sed solum ens: ergo ille conceptus realiter non est representatio substantia, &c. unde distinguitur realiter à conceptu substantia, & accidentis, cum distinctio realis sit negatio unius respectu alterius, ac proinde præcinditur realiter à conceptu substantia; (idem enim est præ-

cindi realiter, & distingui realiter; præcipue quando existit unum, non existente alio, ut contingit in præfenti, siquidem existit expressa cognitio entis, non existente expressa cognitione Dei, & creaturarum) Prima pars consequentiæ sic probatur, quia illud, quod realiter non representat aliquod obiectum, non potest esse realiter representatio illius; sed conceptus entis non representat realiter substantiam, & accedens: ergo non est representatio substantia, & accidentis.

Antecedens primum, in quo est tota difficultas, sic probatur. Primo, quia id representatur per conceptum formalem, quod est obiectum terminativum, vel continetur in obiecto terminativo illius, quatenus obiectum talis conceptus est; sed in ente, quod est obiectum illius conceptus formalis quatenus tale est, non continentur inferiora illius, quæ sunt substantia, & accedens actu, vel consue, vel expresse, ut latissime demonstratum manet questione præcedenti, & ex dicendis infra; amplius patebit: ergo conceptus formalis entis non representat realiter substantiam, & accedens. Maior est evidens, quia illud est obiectum quatenus obiectum alicuius intellectus, quod obicitur illi, & representatur in illa; ita ut in tantum sit obiectum formaliter, in quantum potest obijci, & representari à cognitione.

Dixi enim formaliter, nam bene potest dari aliquid in aliquo obiecto, quod non cognoscatur à conceptu, illud tamen, quod datur & continetur in illo, non est reduplicative, & formaliter ut in obiecto; sed solum specificative, & materialiter; nam in luce, & colore est existentia ut talis, & essentia; & nihilominus visio non videt existentiam, aut essentiam, quia cognoscere illas quatenus tales, est proprium munus intellectus, quia autem illa continentur in obiecto terminativo visionis, non reduplicative ut in obiecto terminativo illius; sed tantum materialiter, & specificative; inde est, quod non cognoscantur, nec percipiuntur à visu. Si autem continerentur in obiecto terminativo formaliter, terminarent visionem actu, eo modo, quo ipsum obiectum; unde actu cognoscerentur ab intellectu, & representaretur à cognitione. Quod clarius patet in relatione similitudinis, aut identitatis, quæ reperitur in luce, quæ obiectum visus est, & nihilominus non percipitur à visu talis relatio, quia non continetur in luce formaliter ut in obiecto visus. Quod etiam contingit in voluntate hominis respectu Angeli, quæ continet actum liberum, & cognita intuitive ab Angelo voluntate humana, non cognoscitur actus liber; quia licet contineatur in tali voluntate, non tamen continetur in ipsa formaliter, sed solum materialiter, quatenus est obiectum cognitionis naturalis, & necessaria Angeli: ergo id, quod formaliter terminat cognitionem, formaliter representatur in illa, &c.

Probatur idem antecedens secundo; quia ut Aristoteles docet 1. de interpretatione per voces exprimimus nostros formales conceptus, sed hæc vox ens, non solum materialiter, sed etiam formaliter habet unam significationem ex primæva impositione, ex vi cuius non significat immediate, & formaliter naturam aliquam indeterminate, & propria ratione, sub qua ab alijs distinguitur; sed potius ut inter se conveniunt, vel

vel similia sunt; unde minime significat plura ut plura, quia non representat illa secundum quod inter se differunt: ergo signum evidens est huic voci ens, respondere etiam in mente unum conceptum formalem, quo immediate, adaequate, & clare concipiatur, quod per hanc vocem significatur, hoc est, habere esse sub hac communi ratione; vel potius è contrario hoc signo colligimus ex tali modo concipiendi res vno conceptu talis nominis impositionem processisse.

Tunc sic illa vox terminata ad ens distinguitur, & praescinditur realiter ab his vocibus, substantiam, accidens, ens per se, & ens in alio, significantibus, ut ex ipsis terminis patet; sed voces significant conceptus, vel proportionantur cum conceptibus formalibus: ergo conceptus formalis representans ens, distinguitur à conceptibus significantibus substantiam, & accidens, & praescinduntur ab illis. Unde tres istae cognitiones formales, ens, substantia, accidens, non minus realiter distinguuntur, quam illae voces ens, substantia, accidens.

21 Vergetur, experimento. Quia dum audimus nomen ens, ipsa experientia convincitur, mentem nostram non distrahi; aut dividi in plures conceptus, sed potius colligi ad unum, sicut cum concipit hominem, animal, &c. ergo signum evidens est, conceptum formalem entis esse unum sicut est unus conceptus animalis.

22 Tertio probatur idem antecedens. Nam si dum concipio ens, conciperem etiam substantiam, & accidens, ac proinde representarentur illa in cognitione entis, similiter representarentur omnia alia praeter substantiam, & accidens, ut sic, v. g. Deum, & creaturas, item conciperetur Deus secundum relationes divinas, sed hoc est falsum; nam ens cognoscitur per cognitionem naturalem, & relationes divinae per cognitionem supernaturalem: ergo id, ex quo sequitur, &c. sequela illa sic probatur. Quia ideo cognitio entis representat substantiam & accidens per vos, ac proinde intellectio, & conceptus entis non praescinditur à conceptibus substantiae, & accidentis, quia ens transcendit substantiam, & accidens; sed etiam transcendit Deum, & relationes divinas: ergo cognitio entis esset cognitio relationum divinarum. Praeterea. Quia non solum cognitio entis, cognoscerentur accidens, & substantia, sed etiam omnia inferiora, quae transcendentur à substantia, & accidente; nam sicut ens, quia transcendit substantiam, & accidens, non potest unico actu cognosci sine substantia, ita substantia, quia transcendit completam, & incompletam substantiam, non poterit cognosci sine illis; quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis. Item completa substantia non poterit concipi sine Deo, Angelo, homine, leone, &c. sicut neque incompleta substantia quin cognoscatur materia, forma, & unio. Neque accidens sine absoluto, & respectivo; neque absolutum sine quantitate, qualitate, &c. sed hoc est plane absurdum; alias omnia creata, & increata, actualia, futura, & possibilia secundum ultimas differentias singulares earum unica cognitione simpliciter, representarentur ab intellectu hominis: ergo licet cognoscatur ens, non debent necessario cognosci omnia inferiora entis, quia esset infinita cognitio; Imo neque aliqua debent necessitate

cognosci cognitio entis, quia non datur maiora ratio aliquorum quam omnium; siquidem tota ratio propter quam cognoscerentur aliqua inferiora est transcendentia entis in illa; sed transcendentia entis est aequalis in omnibus: ergo ratione transcendentiae omnia cognoscerentur unica cognitione. Ne ergo haec absurda sequantur, dicendum est, cognitionem entis in communi, non esse eandem ac cognitionem inferiorum entis, sed potius distingui unam ab alia, & existere realiter unam sine alia; ac proinde praescindi realiter conceptum entis ut sic à conceptibus particularium entium.

SUBSECTIO I.

Secundum principale argumentum ponitur.

Secundo sic argumentor. Quia cognitio evidens naturalis, & scientifica distinguitur, & praescinditur realiter à cognitione probabilis, confusa, seu fidei tam supernaturali, quam naturali, sed cognitio entis ut sic in metaphysico sapiente est cognitio clara, scientifica, & evidens; & cognitiones particularium entium aliquae sunt fidei divinae, & supernaturales; aliae fidei humanae; aliae opinativae; aliae falsae, & erronae: ergo cognitio entis ut sic distinguitur, & praescinditur realiter à cognitionibus particularium entium. Maior quoad primam partem, sine controversia est vera; nam in metaphysica evidenter agitur de ente ut sic, ac proinde propria, & vera definitio illius essentialis traditur, dicendo: ens reale est quod non repugnat existere à parte rei, &c. quae cognitiones in omnium sententia evidenter continentur: ergo cognitio entis ut sic est cognitio evidens in metaphysico sapiente. Minor quoad secundam partem evidenter probatur, quia cognitio unionis hypostaticae, cognitio gratiae habitualis, characteris sacramentalis, visionis beatificae, & reliquorum habituum, & actuum supernaturalium inmitentes auctoritati divinae sunt cognitiones fidei supernaturales, & si imitantur tales cognitiones auctoritati humanae, sunt fidei humanae. Item existentia Angelorum cognoscitur non scientificè, sed per fidem, vel per opinionem, ut tractatu de Angelis late probavimus.

Item Philosophi cognoscunt evidenter intellectum humanum esse ens, & nihilominus, opinative tantum cognoscunt esse accidens. Unde postquam demonstrant in homine dari entitatem productivam intellectuum, inquirunt, sitne substantia, vel accidens? & tali quaesito respondent alij dicentes identificari cum anima, ac proinde esse substantiam; alij vero negantes talem identitatem, ac proinde affirmantes esse accidens solum probabilibus fundamentis nixi, unde talis cognitio est opinio, & non scientia.

Tandem omnes cognoscunt evidenter, quantitatem esse realitatem, & nihilominus controversatur inter reales, & nominales, an sit substantia, vel accidens; sed unio hypostatica, gratia, habitus, & actus supernaturales, &c. sunt particularia entia inferiora respectu entis ut sic: ergo cognitiones particularium entium sunt fidei divinae; fidei humanae, & opinativae. Item, inter illas opiniones sunt aliquae falsae, & erronae, ut supra late probavimus. Et ratio est evidens. Quia veritas confit

Quæst. VI. Vtrum Conceptus, &c. 169

consistit in indivisibili. Vnde à sola vna ex duabus opinionibus contradictorie oppositis debet attingi, quia impossibile est vt duæ cognitiones contradictoriae sint simul veræ; ergo altera, quæ non attingit veritatem, necessario est erronea, & falsa; ex quo evidenter colligitur esse verissimam totam nostram Minorem quoad vtramque partem; videlicet cognitionem entis vt sic esse scientificam, evidentem, & claram; & cognitiones particularium entium esse confusas, obscuras, falsas, & erroneas, &c.

14 Maior prima, & præcipua est evidens, in omnium sententia: Nam cognitio naturalis, & supernaturalis distinguuntur inter se realiter; neque in vnam, & eandem entitatem possunt coalescere; vt in *Physicis disputat. de potentia obedientiali* demonstravimus.

Item, scientia ratione suæ evidentie, & claritatis distinguitur realiter ab opinione, & fide humana propter obscuritatem, & fallibilitatem earum; nam ex obiecto formali distinguuntur specie, & essentialiter; atqui duæ species distinguuntur realiter, vt videre est in actu odij, & actu amoris, in actu metaphysico, & logico, in actu mathematico, & physico; qui omnes distinguuntur realiter, quia specie, & essentialiter ex obiecto formali distinguuntur; alias, si vna, & indivisibilis entitas esset duarum specierum completarum, etiam posset dari à parte rei vna entitas, quæ simul esset homo, & equus, Leo, & Elephas essentialiter, & sic omnis chimæra posset existere à parte rei; quod non solum naturaliter, sed etiam supernaturaliter ab omnibus negatur posse contingere, quia asserunt implicare evidentem contradictionem, cuius fundamentum non est aliud, nisi quod duæ species sint vna, & eadem entitas, in quo maxima, & immediata repugnantia elucet; sed actus fidei divinæ, & actus fidei humanæ, ille supernaturalis, hic naturalis, actus scientiæ, & opinionis, actus verus, & falsus sunt diversæ species, & essentialiter distincti in suo ordine actuum intellectus, non minus, ac in ordine substantiæ homo, & equus distinguuntur specificiter; ergo cognitio evidens naturalis scientifica, & cognitio fidei, opinionis, & erronea distinguuntur, & præcise distincte realiter.

15 Confirmatur cum Patre Hurtado. Specie distinguuntur actus, quo concipio ens vt sic ab actu, quo clare concipio accedens, & quo concipio substantiam, & ab vtraque simul: ergo est vnus actus. De consequentia non dubium, quia si non esset ab vtraque distinctus, non differret ab vtroque. Duæ primæ antecedentis partes etiam liquunt. Tertia probatur, quia actus, quo concipio ens vt sic, illud facit prædicabile prædicatione formali, & non identica; actus autem, quo concipiuntur substantia, & accedens, non faciunt ens prædicabile formaliter, sed identice: ergo differunt illi actus. Antecedens patet, quoad primam partem, quia hæc prædicatio: substantia est ens, non est identica, sicut hæc, Petrus est Petrus. Secunda pars probatur, quia si ens conciperetur, & conceptu proprio substantiæ, & alio accidentis, vtrumque obiectum non prædicaretur de substantia, esset enim falsa propositio hæc: substantia est ens, quia haberet hunc sensum: substantia est substantia, & accedens: ergo tantum prædicaretur substantia cognita in ratione substantiæ: ergo hæc propositio, substantia est ens, esset identica. Patet consequentia: quia propositio

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

identica est quia subiectum, & prædicatum, & sunt realiter idem, & eodem modo noscuntur: vt Petrus est Petrus, vel hic homo; sed in hac propositione substantia est ens, subiectum, & prædicatum sunt idem, (vt patet, & concipiuntur eodem modo: ergo est identica. Probo Minorem. Quia *ly ens*, per te est substantia clare cognita vt substantia, quæ in subiecto eodem modo concipitur: ergo subiectum, & prædicatum eius propositionis: substantia est ens, eodem prorsus modo concipiuntur.

Dices, quantum ad rem prædicatam esse idem prædicatum cum subiecto, non tamen quantum ad modum prædicandi; (vt aiunt Dialectici).

Contra, modus prædicandi est etiam idem, quia 17 modus concipiendi prædicatum est per te idem cum modo concipiendi subiectum, quia vtrumque est ens cognitum clare vt substantia; Dialectici autem loquuntur de prædicato cognito diverso modo, ac subiectum, vt in hac enuntiatione, Petrus est homo: prædicatum enim concipitur vniversalius; quam Petrus, & non in particulari. Quapropter idem homo prædicatur de Paulo quantum ad modum, quod repugnet; si homo supponeret quantum ad modum pro solo Petro cognito in particulari: ergo si ens ex parte subiecti est substantia clare cognita: similiter, & ex parte prædicati, prædicatio erit identica: ergo vt sit formalis, opus erit, vt ens significet eam confuse cum accidente, vt homo significat Petrum confuse cum Paulo.

Declaratur amplius, ens vt sic, (quamvis non prædicatur vnivoce) est vniversale, & ratio logice communis substantiæ, & accidenti: ergo ens vt sic cognoscitur vno actu non repræsentante in particulari substantiæ, & accedens. Probo consequentiam; quia obiectum cognitum duobus actibus in particulari secundum suas differentias, non potest prædicari vt quid commune; quia duo actus clari circa duas differentias, illas in se distinguunt, & (vt ita dicam) æquivalent; nec dant vnitatem communem, quæ oritur ex actu confuso non discernente differentias: ea enim ratione Deus non facit vniversalia, quia penetrat omnes differentias; nec nos facimus hominem vniversalem per vnum, vel plures actus; quibus concipimus clare Petrum, & Paulum; Ratio à priori est, quia tunc re, & ratione sunt omnino plura obiecta, & nullo modo vnum; licet eodem actu noscantur.

SVBSECTIO III.

Tertia ratio principalis ponitur.

19 Tercio sic specialiter argumentor. Intellectus noster distinguit conceptum entis prout sic à creato, & increato, substantia, & accidenti; sed hæc distinctio consistit in separatione conceptuum formalium, secundum quam vno conceptu cognoscatur ens prout sic, & altero particulare ens creatum, vel increatum: ergo datur vnus conceptus formalis, præcise pro solo ente vt sic. Maior est certa, & evidens, quia conceptus communis differt ratione à particulari, vt satis in Logica probatum est; & quia ens secundum se, & prout tale neque dicitur creatum, neque increatum, neque substantiam, neque accedens,

Y non

non enim ens est essentialiter Deus, neque essentialiter creatura; neque essentialiter substantia; neque essentialiter accidens, ut exploratum est: Quod autem non est essentialiter aliud, distinguitur ab illo, ad minus virtualiter à parte rei, & actualiter per intellectum: ergo ens provt sic distinguitur per intellectum à creato, & increato, substantia, & accidenti. Minor non est minus certa, & probata est ad longum in nostra hac metaphysica, dum ostendimus intellectum divinum non facere distinctionem rationis præcisi-
vam; quia non partitur conceptus formalis multiplicitatem; nam distingui per intellectum est separari penes conceptus mentis; separari autem penes conceptus, est dari distinctos conceptus mentis, & cognoscere vnum obiectum, altero non cognito; in quo consistit inadæquatio conceptuum, necessaria ad distinctionem per intellectum. Quare si ens provt sic distinguitur per intellectum à creato, & increato, substantia, & accidenti, oportet ut concedatur vnus conceptus formalis re ipsa distinctus à conceptu formali substantiæ, & à conceptu formali accidentis, & à conceptu formali entis creati, & à conceptu formali entis increati, per quem representetur ens inadæquate secundum id solum, quod sibi essentialitè est.

30 Confirmatur, quod est per se intelligibile sine alijs intellectus noster cognoscit vno simplici conceptu formali distincto realiter à conceptibus formalibus aliorum obiectorum, sed ens est cognoscibile sine substantia, & accidenti, Deo, & creaturis: ergo vnicò conceptu simplici formali ab intellectu nostro cognoscitur realiter distincto à reliquis conceptibus formalibus substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturæ. Maior est certa. Quia intellectus noster, cum sit finitus, & limitatus, cognoscit multis actibus, quæ seorsim cognoscibilia sunt ad differentiam divini intellectus, qui propter infinitam perfectionem in intelligendo, vnicò simplicissimo actu omnia cognoscit. Probatur minor, quod est ens sine alijs virtualiter, ut supra probavimus, est intelligibile sine illis, quia intelligibilitas consequitur ens provt ens; sed ens provt tale, est ens sine substantia, & accidenti, Deo, & creaturis: ergo est intelligibile sine illis. Probatur minor, quod est prius tale quam aliud, est tale sine illo, quia prius non dependet à posteriori, sed prius est ens constitutum in esse entis, quam substantia, & accidens, Deus, & creatura: ergo est ens sine illis. Probatur minor. Id quod in vnoquoque est prius, est eius essentia, quod vero illi accidit, posterius est, sed substantia, & accidens, Deus, & creatura non sunt de essentia entis provt tale, sed accidunt enti provt ens est, ut patet de se: ergo prius est ens provt tale in suo esse essentiali constitutum, & ad se, quam substantia, & accidens, Deus, & creatura; & quam ipsum ens provt ad aliud, quia vnumquodque prius est ad se, & in se, quam ad aliud, & in aliud. Habeo ergo evidenter ens esse cognoscibile sine substantia, & accidenti, Deo, & creaturis, & consequenter dari vnum conceptum formalem distinctum re ipsa à reliquis representantem ens.

Urgetur, quia constitutum alicuius est prius constituto, quia est quasi causa illius, & causa est prior suo effectui vel quasi effectui; sed ens constituit substantiam, & accidens: ergo est prius illis: ergo intelligibile prius; quia res eo modo

est intelligibilis quo est ens, quia intelligibilitas est passio entis, &c.

Secunda pars, scilicet quod sit vnus, sic probatur. Quia est indivisus in se, & divisus à quolibet alio: ergo vnus secundum rem. Consequentia liquet. Antecedens constat ex superiori assertionem quoad primam partem, ex qua bene inferitur secunda. Quia si talis conceptus est entis, ut sic clare cogniti, non vero alicuius entis particularis ut talis expresse cogniti: ergo est divisus à quolibet conceptu entium particularium ut talium realiter, & consequenter vnus secundum rem, etenim longo diversus ante omnem operationem intellectus est actus, quo ego concipio substantiam determinate, & clare; aut qualitatem, & relationem, cum hic terminetur, & representetur ut imago naturalis rei particularem minime transcendentem cætera entia, siue creata, siue increata, ab eo, quo attingo determinate, & clare ens ut rem communem, & permeantem omnia determinata entia, ut Deum, substantiam, quantitatem, relationem, &c. quare harum rerum conceptus ultimæ resoluuntur in alterum entis ut sic, & alterum particularis entis, &c. quod esse nequit verum, absque distinctione talium formalium conceptuum. Vnde sicut in nobis ex distinctione reali conceptuum obiectivorum colligitur necessario distinctio realis actuum formalium; ita etiam ex distinctione per rationem in conceptibus obiectivis, eadem distinctio formalium realis inferitur; ut patet, dum cognoscimus in Deo misericordiam, non cognita iustitia clare, tales actus realiter distinguuntur, quibus ea, quæ sunt idem iure, distinguimus cognoscendo inadæquate.

Deinde, quæ dicunt inter se veram similitudinem, & convenientiam, possunt representari ut talia per vnam imaginem; sed Deus, & creatura, substantia, & accidens dicunt inter se veram similitudinem, & convenientiam: ergo possunt per vnam, & eandem imaginem ut similia, & convenientia representari. Maior ex terminis videtur clara, cum similia ut talia sint vnum potius quam multa, & sic exprimi, nata sint per eandem imaginem. Minor etiam prima liquet ex dictis supra, & alijs, cum ratio entis intrinsece omnibus illis, atque essentialiter conveniat, & vere, ac formaliter enunciatur talis imago vna, esset formalis conceptus, ut patet: ergo ille simul esset vnus, & non plures.

Deinde, conceptus formalis entis non est vnus: ergo multi: ergo duo saltem, alter substantiæ, alter accidentis; sed neuter horum, vel vterque est conceptus formalis entis ut sic: ergo conceptus formalis entis est vnus, & non multi, omnia videntur nota præter minorem, quam sic probabo. Conceptus formalis entis ut sic est rei vniuersalis, & communis, logicè substantiæ, & accidentis; sed neuter horum conceptuum, vel vterque est rei vniuersalis, & communis logicè substantiæ, & accidenti: ergo. Maior constat; quia ens ut sic enuntiatur vere, formaliter, & intrinsece de substantia, & accidenti, non ut æquale, & inferius, sed ut inæquale, & atque superius, & consequenter ut vniuersale, & vtrique commune: ergo formalis conceptus entis ut sic est rei vniuersalis, & communis logicè substantiæ, & accidenti. Minorem ostendo, quia substantia ut substantia non est quid vniuersale, & commune substantiæ,

tia, & accidenti, & idem est de accidente ut sic; nec etiam substantia ut sic, & accidens ut sic copulatum accepta sunt aliquid uniuersale, & commune substantiæ, & accidenti, ut patet ex enumeratione falsitate: ergo neuter conceptus formalis, vel uterque substantiæ, & accidentis ut sic est rei uniuersalis, & communis logice substantiæ, & accidenti.

34 Tertia pars sic probatur, videlicet, quod sit vnus, & præcisus, seu distinctus secundum rationem. Ad quod suppono nos loqui hic de cognitione certa, & verax quibus sic argumentor.

35 Primo, vnus conceptui obiectivo secundum rationem vnus debet respondere formalis tam re quam ratione; sed datur vnus secundum rationem obiectivus conceptus entis ut sic: ergo, & formalis illi respondens est vnus etiam secundum rem, & rationem. Illatio constat. Minor satis iam locis relatis ostensa est. Maior autem videtur manifestari; quia imaginata per rationem vna imago, & similitudo expressa per rationem debet respondere, cum representans naturaliter, & representatum inuicem proportionentur.

36 Deinde, si non esset vnus secundum rationem, maxime; quia in esse imaginis plura re, & ratione distincta representaret, sed hoc est falsum: ergo. Maiorem concedent aduersarij tanquam suæ doctrinæ basim. Minorem tamen ita proba. Quia talia multa re, & ratione, aut substantia, & accidens tantum essent? & hoc non; tum quia implicat humanum intellectum limitatæ virtutis attingere vno actu secundum rem substantiam, & accidens ut talia sunt, quæ re, & ratione distinguuntur; quia si illa representarentur immediate, & clare iuxta proprias rationes, maxime quia ens ea transcendit, & habet esse analogum; sed tam substantia quam accidens sunt etiam transcendentes suorum inferiorum, & analogæ; unde non possent tantum representari per illum actum immediate, atque distincte: ergo deberent representari omnia particularia entia, atque distincta tam existentia, quam possibilia, siue completa, siue incompleta; vel non esset possibilis conceptus formalis entis, cum non esset maior ratio, ob quam vnum potius quam aliud representaretur, atqui talia entia sunt infinita, representantur igitur infinita, vel nullum, quod implicat: ergo fatendum est, illum conceptum formalem entis vnum secundum rem esse, vnum etiam secundum rationem.

37 At, per illum conceptum formalem vnum secundum rem, multa representari confuse, & sic non esse vnum ratione.

38 Sed contra; quia talia multa, vel representantur secundum proprias rationes eorum distinctivus, ac constitutivas, ut substantia in esse substantiæ, & quantitas, aut relatio in esse talium, vel secundum aliquam rationem repletam intrinsecce in omnibus, in qua dicuntur similia, & convenientia; non cognitis rationibus particularibus: si hoc secundo modo, vere omnia entia particularia ut talia attinguntur confuse per illum conceptum formalem; sed illi clare, atque distincte debet aliquid respondere obiective; ratio nimirum illa communis inventa in eis, à qua ut similia, & convenientia importantur, quæ cum vna ratione sit, & non plures, vnus ratione erit conceptus, atque distinctus comparatione illius, licet confusus respectu entium particularium, quorum nullum potius quam aliud exprimit clare, si au-

R. P. de Naepl. Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tem primo modo, iam talis conceptus in representando ea multa non erit confusus, sed expressus, atque distinctus, cum feratur in entia secundum proprias rationes distinctivas, ac constitutivas, qui modus concipiendi, non obsecutus, sed clarus impossibilis est, ut patet; & consequenter impossibile tam multa, ac diversa entia per vnum re conceptum, nostrum intellectum attingere dicto modo.

Secundo, quia conceptus ille est distinctus à parte rei à conceptibus accidentis, & substantiæ: ergo si datur cognitio certa, & vera illorum conceptuum, sine dubio talis cognitio cognoscit illos conceptus ut distinctos: ergo conceptus illi distinguuntur secundum rationem, seu cognitionem; unde secundum rationem præscinduntur, quia per rationem poterit vnus conceptus cognosci sine altero; sicut quia Petrus distinguitur à parte rei à Paulo, cognitio terminata ad illos cognoscit ipsos ut distinctos inter se, & præscindit vnum ab alio; nam potest cognoscere Petrum non cognito Paulo; & quia visio Pauli distinguitur à visione Petri, & intellectio Ioannis ab intellectioe Alfonsi, per rationem potest vna cognosci sine alia, & præscindi ab illa, sed per vos conceptus entis distinguitur à conceptu Pauli: ergo potest cognosci vnus conceptus sine alio: ergo præscinditur per rationem.

Solum enim in aliquo sensu potest negari vnum conceptum distingui per rationem ab alio si talis distinctio sit ficta; quia tunc fingit intellectus, quando ubi non est aliqua formalitas, vere, & à parte rei cognoscit intellectus illum, v. g. quando facit distinctionem rationis inter Deum, & attributa, quia cognoscit distinctionem ubi nulla est à parte rei: sed inter formalem conceptum entis, & conceptum substantiæ datur vera, & realis distinctio: ergo intellectus non fingit inter illos distinctionem: ergo non distinguuntur per rationem, &c. sed sæpe distinctio vocatur præcisio: ergo si non distinguuntur per rationem distinctione ficta, nec præscinduntur præcisione rationis.

Dices cum Fonseca, non in hoc, sed in primo sensu præscindi per rationem conceptum entis à conceptu accidentis, & substantiæ.

In quem sic efficaciter argumentor ratione ex illius doctrina petita. Nam conceptum simpliciter ratione præcisum ab alijs, cum vocat, in cuius ratione nihil includitur eorum, quæ sunt propria conceptibus, à quibus præcisus est, sed ita se habet conceptus formalis entis ut sic. Igitur est ratione præcisus simpliciter. Illatio tenet. Minor, in qua est sita tota difficultas, ostenditur. Nullo enim existente conceptu formali substantiæ aut accidentis, datur integre à parte rei conceptus formalis entis ut sic: ergo in ratione talis conceptus nihil proprium includitur conceptuum, à quibus præcisus est. Antecedens constat; nam qualitas illa, seu expressa entis ut sic similitudo, aut representatio non componitur ex qualitate, aut expressa similitudine, vel representatione substantiæ, & accidentis in esse talium; quare tota illius essentia cognosci potest adæquate, atque distincte; quin formales conceptus substantiæ, & accidentis ut talium cognoscantur, ut videtur evidens, maxime cum illa entis ut sic expressa similitudo, sit confusa substantiæ, & accidentis; horum autem imagines, seu representationes sunt clare, & nequeat vnum includere in

sua ratione imaginis rationem claræ representationis alterius, & includendo esse illius confusam imaginem, & non potius distinctam, & claram. Unde sicut implicat representationem claram alicuius obiecti includere eiusdem representationem confusam, ita pariter implicat è cōverso representationem claram entis ut sic, ac confusam substantiæ, & accidentis includere horum representationes claras, quales sunt notitiæ substantiæ, & accidentium secundum proprias rationes in effectuum: ergo.

43. Confirmatur, quia ideo per te conceptus formalis hominis est ratione præcisus à conceptibus formalibus Socratis, & Platonis; quia in representatione hominis non includitur representatio Platonis, & Socratis; atqui in representatione entis ut sic non includitur etiam representatio Dei, & creaturæ: ergo. Minorem probō, quia representatio conceptus formalis entis ut sic, est representatio rationis universalis, vere, & intrinsece enuntiabilis de creatura, & Deo ut inferioribus quoad prædicationem, & representatio conceptus formalis Dei, aut creaturæ est representatio rei particularis, & minime enunciabilis de creatura, & Deo vere ut inferioribus quoad prædicationem: ergo in representatione formalis conceptus entis ut sic non includitur representatio conceptus formalis Dei, aut creaturæ, cum nequeat representatio rei communis, & universalis constare ex representatione rei non universalis, & communis.

44. Ais, obiectum representatum per conceptum formalem entis ut sic includi in obiecto adæquate representato per conceptum formalem Dei, aut creaturæ, & sic in representatione conceptus formalis entis ut sic includi representationem conceptus formalis Dei, aut creaturæ; nam obiectum unius est aliquid proprium alterius obiecti.

45. Contra, quia etiam representatum obiectum per conceptum formalem animalis ut sic includitur in obiecto representato per conceptum formalem equi, aut leonis, & tamen in representatione clara animalis ut sic non includitur representatio clara equi, aut leonis: ergo similiter nec in representatione clara entis ut sic includitur representatio clara Dei, aut creaturæ: ergo sicut formalis conceptus animalis ut sic est simpliciter ratione præcisus à conceptu formali equi, sive leonis; ita & conceptus entis ut sic à conceptu formali Dei, & creaturæ: unde, sicut animal ut sic distincte cognitum non est magis proprium equi, quam leonis, quia utrique commune; ita ens ut sic clare cognitum non est magis proprium Dei, quam creaturæ, quia utrique commune saltem analogice.

46. Dices, non includi animal in ratione ultima leonis, aut equi; nec leonem, aut equum in animalis; secus vero ens includitur in ratione ultima, exempli gratia substantiæ, & hæc in ente; unde nequit ens præscindi simpliciter ratione à substantia, bene animal à leone.

47. Contra, quia vel sermo est de inclusione actuali, vel potestativa: si de prima, falsum est, substantiam includi in ente, ut constat ex sæpe dictis; nam sic de ratione entis ut sic esset substantia, & consequenter accidens. Si de altera, verum est, substantiam contineri sub ente, non in ente secundum propriam, & ultimam rationem, quod non impedit præcisionem simpliciter; vel in concepti-

bus obiectivis, vel in formalibus, & consequenter nec in ente respectu suorum inferiorum. Quod vero ens includatur, quia est transcendens, in ultima ratione substantiæ; animal autem, quia non est transcendens, non imbibatur in ultima ratione leonis, solum convincit non dari mutuum, & adæquatam simpliciter præcisionem inter ens, & differentias contrahentes ens; sicut datur inter animal, & rationales; quare non licet inferre non dari præcisionem simpliciter secundum rationem saltem inadæquatam ex parte conceptus formalis entis ut sic à conceptibus substantiæ ut sic, & accidenti ut sic; Imo addo, ex inclusione obiecti unius actus in obiecto alterius, male colligi in ratione unius actus includi rationem formalem alterius, & sic non esse ratione præcisos, ut in scientia de animali, & opinione de homine pater: quoniam neutrum est de ratione alterius, cum tamen animal includatur in homine, quod etiam cernitur in eodem obiecto terminante modo claram, & evidentem notitiam; modo inevidentem, & obscuram ratione diversorum mediorum, & tamen una notitia non est, neque esse potest de ratione alterius; quare licet ens includatur in substantia, quia tamen conceptus formalis entis ut sic fertur in ens commune, & illimitatum; conceptus vero substantiæ formalis in ens particularis, & limitatum; qui conceptus neque est, nec esse potest de ratione alterius, & sic ille præscinditur simpliciter ab homine secundum rem, & rationem.

Ex dictis infero, non se habere conceptum formalem entis ut sic quoad unitatem ut se habet nomen æquivocum, quia vel nomen æquivocum sumitur in esse vocis, & materialiter; aut in ratione significandi, & formaliter: si primo modo, unum quidem simpliciter est, cum sit una simpliciter, & realiter vox. Si altero modo? non unum, sed plura simpliciter significat, cum plures habeat significationes ad placitum; at conceptus formalis entis ut sic tam inesse qualitatibus, & materialiter, quam formaliter, & in representando, cum unum ratione simpliciter obiectum representet; est unus simpliciter, & non plures. Imo licet daremus plura representare, & sic esse plures in ratione imaginis, tamen ea plura non representaret à casu, & tanquam omnino diversa, ac disparata ut nomen æquivocum, sed potius ut convenientia, atque similia sub ratione formalis convenientiæ.

Si tamen dicas, etiam dari æquivocum à consilio: Bene, sed rogo, an tale æquivocum à consilio cum analogo recurat, & sit medium inter æquivocum, & univocum, vel recurat cum æquivoco quatenus extreme opposito univoco? si primum: ergo iam conceptus formalis entis erit analogus, & non se habebit sicut nomen æquivocum; quod etiam adhuc à me supra negatum est. Si alterum: ergo iam inter univocum, & æquivocum non datur medium; quod est contra sententiam adversariorum, dividentem nomen in univocum, analogum, & æquivocum.

SVBSECTIO IV.

Secunda Conclusio ponitur.

Sententia P. Fonseca mihi maxime displicet. 50
Primio ergo displicet divisio conceptus formalis

malis in omnino distinctum, & omnino confusum, & partim distinctum, & partim confusum; quia vitiosa, cum detur per membra minime contenta sub diviso. Nam hic est sermo de conceptu formali entis ut sic, an sit vnus simpliciter, vel plures? conceptus autem ille distinctus omnino, non est entis ut sic, cum sit Dei, substantiae, & aliarum entitatum simplicium tam existentium quam possibilium, & consequenter entium in particulari, & sic plures simpliciter in representando: ergo non ad rem; quia hic non quaerimus de conceptibus entium particularium, sed potius de conceptu representante convenientiam omnium entium in ratione non repugnandi ad existendum, ac proinde repraesentante ens ut sic.

¶ Conceptus etiam omnino confusus non continetur sub diviso, quia impossibilis, ut infra ostenditur. Nec magis comprehenditur ultimus, cum non sit entis ut sic, sed potius proprius conceptus formalis substantiae ut substantia esset; vel simul entis, & substantiae, à quo longe diversus est conceptus entis ut sic, ut patet ex dictis.

¶ Deinde rogo, an substantia ut sic possit concipi distincte in ratione substantiae, quin omnes substantiae attingantur in particulari, vel non? si primum dederis, cur etiam ens non poterit cognosci formaliter in ratione entis distincte, quin in particulari, & expresse omnia entia tam existentia quam possibilis cognoscantur? An quia transcendens? Non, quia etiam substantia ut sic transcendit creatam, & incretam, completam, & incompletam. An quia analogum? Non, tum quia in mea sententia, neque ens est analogum, neque substantia. Tum etiam, quia in tua sententia non solum ens, sed etiam substantia ut sic est quid analogum: An quia ens importat immediate ea omnia? Non, tum quia, ut visum est supra, id omnino falsum est; Tum quia sto sit verum, substantia etiam importaret omnes substantias in particulari immediate. Si alterum dicas: ergo nulla res communis, & abstracta potest attingi conceptu formali omnino distincto, sed necessario omnia eius inferiora cognoscendo in particulari, & expresse; & sic tantum Deus conceptum formalem omnino distinctum habebit; quod videtur absurdum.

¶ At, id contingere solum in analogis, non vero in univocis, quia nomen univocum importat vnā rationem simpliciter communem inferioribus, ut patet in animali respectu hominis, & bruti; animal enim non significat immediate hominem, & brutum, sed naturam viventem, & sensitivam utique communem, & aequaliter convenientem; & sic potest cognosci distincte non cognitum in particulari homine, & bruto, secus vero contingit nomine analogo, quale dicitur esse ens, aut substantia ut sic, importat namque omnia analogata immediate, & sic nequit attingi conceptu formali distincto, nisi in particulari omnia etiam analogata cognoscantur.

¶ Contra primo, quia, ut saepe demonstravi, hoc nomen ens non est analogum; sed univocum, ergo ex hac parte corrumpit tua argumentatio.

¶ Contra secundo, quia vel sermo est de analogis importantibus aliquam rationem intrinsecam vni analogato, extrinsecam ceteris? & de his verum est importare immediate sua omnia analogata, licet vnum primario, cetera secundario. Ut sanum, quod nequit cognosci distincte secundum omnem suam significationem, nisi omnia sa-

na in particulari, & expresse cognoscantur; quod fiet per plures conceptus, & non vnum saltem in representando; & de his analogis non est sermo in praesenti, sed de illis, quae important aliquam rationem inventam intrinsece, & essentialiter in suis analogatis, quale est ens (non in mea, sed in tua sententia, quam per impossibile suppono esse veram, ut adhuc ea supposita, te fortiter oppugnem,) quod intrinsece convenit, & essentialiter Deo; & creaturis, substantiae, & accidentibus, & talia analogata non asserunt immediate omnia sua analogata, sed tantum rationem illam omnibus communem, in qua dicunt similitudinem, & convenientiam simpliciter, & intrinsece; quare in hoc analogata haec non differunt ab univocis, nam cum animal concipis, vel concipis in confuso hominem, & brutum, ut voluit nominales, vel aliquid ratione praecisum ab utraque, ut docent communiter ceteri? si primum, etiam dum concipis ens ut sic, concipies Deum, & creaturam confuse, & clare dum concipis Deum, & creaturam, ut his vocibus exprimentur; sicut animal clare cognoscis, distincte cognitis homine, & bruto, ut his vocibus importatur.

¶ Si alterum? Ergo sicut dum concipis animal ut sic, non concipis immediate hominem, & brutum; quia homo, & brutum sunt talia animalia, & non animal ut sic; ita dum concipis ens ut sit, non concipis immediate Deum, & creaturam, cum Deus, & creatura sint talia entia, & non ens ut sic commune Deo, & creaturæ. Vnde sicut conceptus animalis simpliciter est praecisus ab homine, & bruto, ita ens à Deo, & creatura; & sicut animal distincte cognoscitur, non cognitum homine, & bruto in particulari, ita ens non cognitum Deo, & creatura in particulari.

¶ Deinde, interrogo, cur omnino distinctus conceptus debet solum repraesentare omnes entitates simplices, seu non compositas ex natura communi, & differentia contrahente, & non cetera, si ens ut sic tam haec, quam illas continet. Vnde sicut nihil datur in Deo, substantia, aut relatione, quod entis rationem excludat, ita nec in corpore, animali, aut paternitate; imo est impossibile naturas simplices repraesentare commissa hypothesi; quod ens immediate plura significet; quia analogum, quod saepe falsum esse docuimus, nam si immediate importat Deum, & creaturam, addens, & substantiam, rogo quam substantiam, an genus summum praedicamenti constitutivum? an superiorem aliam? Non primam, quia inter eam, & ens mediat altera, quae praescindit à completa, & incompleta, & sic iam esset mediatum significatum. Aut si velis esse immediatum, necessario dicendum est ens non importare omnem entitatem simplicem, cum incompleta substantia sit entitas simplex, & non importetur. Non praecisam à completa, & incompleta; quia etiam est analogum quid, & sic importabit immediate tum incompletam, tum completam; imo actualement incompletam, & possibilem, & actualement completam, & possibilem, quod manifeste experientiae plane repugnat.

¶ Nec magis verum est illud de conceptu omnino confuso; nam idolum, seu verbum, quod intellectus humanus format, audita voce ens, aut est vnum numero in essendo, & in representando; aut vnum in essendo, & plura in representando; aut plura in essendo, & in representando; aut plura in essendo, & vnum in representando; Si primum;

primum, est una numero qualitas representans unum numero obiectum, & hoc clare, non vero entitates omnes simplices tam existentes quam possibiles confuse, & indeterminate.

59 Si alterum representabit ergo plura simul obiecta longe diversa, imo infinita existentia, & possibilia, & possibilia secundum particulares rationes, quod fieri nequit absque distincta cognitione; nam si ea omnia cognoscas ut convenientia in aliqua illis ratione communi, talis convenientia, & ratio communis erit obiectum determinatum illius conceptus, qui erit unus, & non plures; sicut unicuique datur obiectum immediatum, ratio scilicet, in qua conveniunt.

60 Item, quia ex hac tua sententia sequeretur ens neque esse univocum neque analogum, sed æquivocum omnino; sed hoc est absurdum inter omnes: ergo ens, seu conceptus formalis eius non terminatur ad particularia entia secundum quod diversa sunt, & quatenus differentia, seu secundum differentias expressas. Minor, & consequentia sunt evidentes. Maior sic demonstratur, quia illud est nomen æquivocum, quod significat res quatenus primo differunt, & non secundum quod conveniunt in aliqua ratione superiore, sed hoc nomen aut conceptus ens, terminatur ad accedens significandum quatenus accedens est ad substantiam ut substantiam, ad Deum ut Deum, ad creaturam ut talis est, sed hæc omnia ut sic concepta expresse significantur ut differunt: ergo conceptus entis terminatur ad obiecta quatenus primo differunt, & diversificantur.

Dices, Deum, & creaturam convenire in ratione entis, ac proinde conceptum entis non esse æquivocum.

61 Sed contra, quia licet illa obiecta alias conveniant, nihilominus propterea significantur hoc nomine ens, non significantur quatenus conveniunt, sed potius quatenus differunt, quia significantur secundum expressas differentias, & ut genere, & specie diversificantur: ergo nomen illud, vel conceptus erit æquivocum, quia materialiter, se habet respectu conceptus formalis convenientia ipsorum, cum in ipso conceptu non representetur illa, sed solum, ut dixi, diversitas obiectorum. Exemplo manifestatur. Ideo canis est nomen æquivocum, quia significat plura obiecta, quatenus differunt, & secundum differentias, expressas, licet alias illa obiecta, pisces, stella, & animal latrabile conveniant in ratione entis, & in ratione substantiæ; quæ convenientia non tollit æquivocationem nominis canis, quia se habet materialiter respectu nominis, & tanquam si non esset, quia non exprimitur per ipsum nomen canis, quia in tali nomine non representatur nisi differentia illorum. Vnde etiam si aliquomodo representetur convenientia, representatur tamen admixta differentiis expressis, quia per illum conceptum representantur tria obiecta specie, & essentialiter differentia; sed per conceptum entis per vos representantur non solum tria, sed innumera obiecta secundum differentias expressas, & quatenus essentialiter differunt, & diversificantur, scilicet Deus, creatura, accedens, substantia, quæ obiecta secundum quod talia sunt, maxime differunt: ergo licet alias illa conveniant, cum talis convenientia pura non representetur per conceptum illum formalem, sed potius representetur diversitas inter illa, vel si representetur aliquomodo, representatur nihilominus admix-

ta differentiis expressis illorum: ergo illa materialis convenientia, quæ est quasi per accedens respectu talis conceptus nullo modo impedit æquivocationem entis, sicut materialis convenientia trium obiectorum conceptus canis non tollit æquivocationem illius: ergo supposita vestra sententia, nomen ens, neque est univocum neque analogum, sed potius maxime æquivocum. Ne ergo hoc sequatur, dicendum est, conceptum entis non terminari ad inferiora entis secundum quod talia; sed potius ad convenientiam illorum puram sine admixtione cum differentiis.

Si tertium, cuilibet formali conceptui correspondebit suum obiectum proprium; quod attinget distincte, non vero obscure, & confuse, cum aut esset Dei, aut substantiæ, aut quantitatis determinate.

Ultimum tamen dici nequit, cum secum afferat implicationem claram, nam impossibile est, talem entis conceptum formalem omnino confusum; nam ut de se patet, nullus datur conceptus formalis elicitus à scientia metaphysica, (quæ quatenus scientia, evidens, & clara est) ita confusus in una consideratione, qui in altera non sit distinctus; nam vel terminatur ad rationem aliquam particularem, vel communem? Si ad particularem ut Bucephalum, v.g. talis conceptus erit distinctus absolute propterea terminatur ad proprium obiectum, licet si comparatur ad aliud, ad quod non primario tendit, quod de eodem Bucephalo possum cognoscere media intuitiva cognitione, aut clarissima definitione dicatur confusus. Si ad communem, v.g. animal terminetur conceptus ille, erit distinctus simul, quatenus naturam animalis representat determinate, licet sit confusus respectu hominis, & bruti inferiorum eius. Vnde pari modo loquendo, licet conceptus formalis entis sit confusus respectu particularium entium ut talia entia sunt, & quatenus continentur in potentia in ente, nihilominus erit distinctus respectu eius rationis superioris, & communis omnibus entibus particularibus. Nequit igitur dari conceptus aliquis formalis à scientia metaphysica emanans omnino confusus, cum debeat esse imago naturalis, & determinata alicuius imaginati determinate, ut videtur notum.

Tertius autem conceptus partim distinctus, & partim confusus, minus aridet, quia conceptus formalis expresse, & distincte representans substantiam genus summum ut confuse representaret alias naturas quatenus omnes cum substantia proportionem quadam conveniunt, deberet etiam simul expresse hanc proportionem representare; sed illam non representat: ergo nec confuse quantitatem, & ceteras naturas. Maior videtur nota, quia nequeunt multa ut proportionata importari alicui uni, quin talis importetur eorum proportio, ratione cuius talia multa importantur. Minor patet. Tum quia nulla dari talis proportio videtur, nam illa esset in ratione substantiæ, & hoc non, quia nullum accedens dicit proportionem ad substantiam in ratione substantiæ, cum non participet rationem substantiæ, quod necessarium est. Si autem dicas esse in ratione entis? Bene, sed illa importabitur per ens, si forte importatur; non per substantiam; tum quia longe aliud est conceptus formalis substantiæ expresse, & distincte cognitæ, & conceptus proportionis inter accidentia, & substantiam; imo si talis proportio, per eum conceptum importaretur, necessario ea importaretur in

in recto, substantia vero, & accidentia in obliquo, vel hac in recto, illa autem in obliquo, vtrumque tamen cum tua doctrina pugnat; primum, quia iam esset conceptus formalis determinatus, & expressus solius proportionis indeterminatus, & confusus substantiae, & accidentium. Secundum, quia iam tam expresse, & determinate conceptus ille repraesentaret accidentia, quam substantiam, cum non esset maior ratio ad vnum, quam ad alterum.

65 Ais, quantitatem, & ceteras naturas accidentales, dicere ordinem ad substantiam tanquam primum analogatum entis; & hinc oriri posse distincte, & expresse concipi, quia accidentia saltem confuse vna concipiuntur.

66 Sed contra, quia vel sermo est de substantia vt sic abstracte à creatura, & increata, & hoc non, quia iam esset de ratione substantiae divinae vt concepta expresse accidentia conciperentur, quod absurdum est, vel sermo est de substantia vt sic creata, & completa; & hoc etiam non, vt patet in substantia Angelica, qua expresse, & distincte concepta; non quantitas, aut cetera omnia accidentia saltem confuse concipiuntur; quidquid enim est de conceptu superioris, est de conceptu inferioris, vel est sermo de substantia vt sic corporea, & completa; & hoc non, tum quia accidentia vel non recipiuntur in toto composito, & sic posset concipi expresse, & distincte, non conceptis accidentibus confuse. Tum quia esto in ea recipiantur, tamen lapis, & lignum distincte, & expresse valent concipi, non conceptis accidentibus confuse; & consequenter substantia corporea, & completa vt sic.

67 Deinde, conceptus formalis expressus, & distinctus substantiae, vel est conceptus substantiae in esse substantiae, vel in esse subiecti, & substantiantis accidentia? Si primum; ergo talis nequit esse confusus quantitatis, & ceterarum naturarum; cum nullum dicant ordinem, aut convenientiam cum substantia in esse substantiae. Si secundum, iam erit conceptus proprietatis substantiae; & non substantiae, in esse substantiae, ac consequenter conceptus formalis distinctus, & expressus substantiae in esse substantiae non erit confusus quantitatis, erit etiam impropria locutio, quia improprie conceptus expressus materiae, aut alicuius actus, seu potentiae dicitur confusus formarum, vel obiecti; & sic conceptus subiecti distinctus, confusus eorum, qui recipere valent, quemadmodum quantitatis etiam, aliorumque accidentium expressus conceptus, vocaretur improprie confusus substantiae, ad quam dicitur habitudinem.

68 Praeterea, illi conceptui patrum distincto, & partim confuso deberet respondere similis obiectivus; de quo rogo, an possit enunciari de infra se contentis? Nec ne? Si potest; ergo de quocumque enunciaretur ea substantia, diceretur & accidentia, quod absurdum est. Si non potest, qua de causa? nil enim apparet, quod impedire possit talem enunciationem, cum ratio illa esset superior, & contineretur in infra se contentis. Vnde cum talis obiectivus repugnet conceptus, repugnat etiam & formalis illi respondens. Ex quibus patet, quid de obiectivi conceptus divisione censendum sit, eiusque membris; cetera enim huius authoris prominciata ex infra tradendis impugnanda sunt.

SUBSECTIO V.

Tertia Conclusio ponitur.

69 Falsa est sententia Mafij, quae sibi contradicit, & probatur. Quia conceptus formalis entis re distinctus, & avulsus à conceptu Dei, & creaturae, ideo vocatur imperfectus; quia non continet totam entitatem suorum inferiorum; sed similiter conceptus formalis animalis non repraesentat totam entitatem suorum inferiorum, hominis nimirum, & bruti; ergo erit etiam imperfectus; sed admissa hac imperfectione conceptus animalis est simpliciter, & absolute avulsus, atque praecisus ab homine, & bruto; ergo, & conceptus entis formalis à Deo, & creaturis, quod negas.

Ais, nullum gradum animalis reperi in homine, qui non reperiatur in bruto; at datur aliquis gradus entis in Deo; qui non sit in creatura, cum hac sit ab alio, ille vero à se, & independens.

70 Contra primo, quia licet verum sit nullum gradum animalis formaliter considerati dari in homine, qui non sit in bruto, tamen conceptus animalis non importat totam entitatem hominis, & bruti, sed aliquod eorum; ergo adhuc erit imperfectus, quia incompletus; nec, inquam, perfectus esse poterit, cum nequeat ille conceptus animalis esse simul totius hominis, & totius bruti secundum rationem convenientiae; & differentiarum. Praeterea, licet detur aliquid in Deo, quod non conveniat creaturae, id non impedit entis praecisionem simpliciter, quia etiam in homine datur aliquid non existens in bruto, & tamen animal simpliciter abstrahitur. Vnde sicut id, quod homini convenit, & non bruto, non convenit homini ratione animalis praecise, iam enim, & bruto convenit, sed ratione adiuncti, videlicet differentiae; Ita similiter, si quid Deo convenit, & non creaturae, non Deo convenit praecise, & formalissime loquendo, ratione entis vt sic alias, & omni enti conveniret; sed ratione modi superadditi; quare ex hac parte non impeditur etiam conceptum formalem entis ita esse praecisum, vt dicatur simpliciter praecisus, & avulsus.

71 Deinde, rationes pro assertione prima Mafij communiter vsurpantur à Doctores, vt probent dari vnum entis conceptum simpliciter abstractum. Quae vero secundam confirmant, adducunt etiam communiter negantes eundem conceptum simpliciter praecisum. Vnde si haec sententiae inter se pugnant, vt videtur clarum; rationes etiam pugnare debent, & consequenter sine consequentia vsurpantur ab hoc authore; etenim si ex prima ratione conceptus formalis entis re differt à formali substantiae, & accidentis; rogo, quid illi conceptui sic distincto corresponsdeat obiective? An ens ratione praecisum simpliciter à substantia, & accidente, an sola substantia, vel solum accidens, vel vtrumque?

72 Si primum? Quomodo talis conceptus formalis non est etiam simpliciter avulsus à conceptibus formalibus substantiae, & accidentis; cum implicet esse obiectivum conceptum simpliciter abstractum, & non formalem?

73 Si secundum, aut tertium, iam talis conceptus formalis, non erit secundum rem praecisus à formali.

mali substantiæ, vel accidentis, cum sit formalis substantiæ, aut accidentis: illi namque aut sola obijciunt substantiæ, aut solum accidens.

75 Si ultimum, iam non erit vnus avulsus, & præcisus a conceptu substantiæ, & accidentium, sed plures simul, alter substantiæ, alter quantitatis, alter relationis, &c. quod est contra manifestam experientiam.

76 Præterea, si ex secunda ratione eatenus conceptus formalis entis re ipsa distinguitur a conceptu formali suorum inferiorum, quatenus solum attingit id, quod est per illum, intellectus minime cogitans, siue substantiæ, vel accidentis: ergo illi conceptui solum obijciunt id quod est, non vero substantiæ, vel accidentis, & consequenter nec modi eorum, igitur si obiectum nec est substantia, nec accidens, nec includit modos eorum, erit simpliciter abstractum, & præcisum a modis, & substantia, ac accidente, & consequenter conceptus etiam formalis talis obiecti representativus.

77 Ad hæc, si ex tertia ratione, ideo differt secundum rem conceptus formalis entis a conceptu formali substantiæ, & accidentis, quia potest intellectus certè scire aliquid esse ens, dubitare tamen siue substantiæ, vel accidentis: ergo per similem conceptum formalem certè, atque scientificè attingit obiectum, quod nec est substantia, nec accidens, sed quid utroque superius, & communius, & consequenter subtractum simpliciter a substantia, & accidente; unde, & idem formalis conceptus erit quoque simpliciter præcisus, & avulsus a conceptu substantiæ, & accidentis, secus enim non dubitaret, aut falsam imberet opinionem, existimando tale ens habere rationem substantiæ, cum esset accidens; ut ergo bene colligimus ex eo quod certo sciatur aliquid esse animal, dubitetur vero quale sit, an equus, vel leo, conceptum animalis esse simpliciter præcisum a conceptu equi, & leonis; ita & conceptum entis a conceptu substantiæ, & accidentis, quod certo sciatur lumen esse ens, & dubitetur, siue accidens, vel substantia.

78 Ulterius, si ex quarta ratione, quia ab omnibus similibus abstrahi potest conceptus aliquis formalis re ipsa distinctus, & substantia, ac accidens assimilantur in ente, ideo potest abstrahi re ipsa distinctus conceptus formalis entis, & avulsus a conceptu substantiæ, & accidentium: ergo talis conceptus repræsentabit suorum inferiorum similitudinem, & convenientiam. Male ergo postea asseritur, solum repræsentare ea, in quibus substantia, & accidens differunt; imo repugnat saltem respectu nostri intellectus, quod per eandem numero actum repræsentantem convenientiam, similitudinemque expressam, importentur modi substantiæ, & accidentium, quibus differunt, cum ut tales, sint primo diversa obiecta, & nequeant per eandem imaginem naturalem exprimi, aut representari, ut videtur manifestum.

79 Deinde, si ille formalis conceptus terminatur ad inferiora ut similia in ratione entis inventa essentialiter, & intrinsece in eis se habebit ut animalis conceptus formalis, eritque simpliciter præcisus; nam si conceptus animalis terminatur ad inferiora, videlicet hominem, & brutum ut similia, & convenientia in ratione animalis, etiam conceptus entis, si convenientia hominis, & bruti in esse animalis est convenientia simpliciter, ita & convenientia substantiæ, & accidentium in ratione entis, cum substantia sit ens

simpliciter, & intrinsece, ac essentialiter. Quare vel neganda est præcisio simpliciter univocis, vel concedenda analogis importantibus rationem intrinsece repertam, & essentialiter in analogatis.

Testimonium verò Angelici Doctoris convincit sane ens descendere ad inferiora per additionem; (ut visum est supra & latius infra videbitur) & conceptum substantiæ, & accidentium ultimo resolui in conceptum entis, quod verissimum est, sed id nequit stare cum Malij assertionem quarta, docente ens immediate significare Deum, creaturas, substantiam, & accidentia; nam si per ens immediate hæc importantur, quomodo ad illa ens descendit per additionem? aut quomodo conceptus substantiæ ultimo resoluitur in conceptum entis, si per ens immediate ipsa asseritur substantia; imo & accidentia; quare neque Deus, aut creatura, neque substantia, vel accidens resolvi possunt in conceptum entis ultimatè, cum hic importet omnia entia immediate, in quæ nequit resolvi Deus, vel creatura, aut ens aliud particulare. Imo nec cum alijs duabus assertionibus eadem quarta consistit, ut facile patet ex dictis. Porro eiusdem argumenta pro secundo pronuntiatio, eo tendunt ut probent entis conceptum formalem non esse simpliciter præcisum. Imo si recte expendantur, nec vnum, sed plures, cuius oppositum satis supra demonstratum est.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

Ad primum negatur suppositum, quod concipitur conceptus formalis entis sit analogus, quia ut iam probavimus, univocus est. Deinde, licet concederemus conceptum illum entis esse analogum, negamus tamen audito nomine analogo formare intellectum diversos conceptus formales, & sic negamus similitudinem, & comparisonem a Rubio factam nominis analogi cum æquivoco quantum ad hoc; & ratio est, quia nomen æquivocum significat res omnino diversas ut tales, nomen autem analogum intrinsece significat res convenientes in vna ratione præcisa superiori, & ideo unico conceptu possunt hæc concipi, & non illa.

Ad secundum concedo Maiorem, & primo nego suppositum, quod conceptus obiectivus entis, de quo hic loquimur, sit analogus, sed potius univocus. Deinde, concedamus suppositum, videlicet, quod sit analogus: nego tamen quod conceptus obiectivus entis non sit univocus, ut videre licet in Patre Suarez, Hurtado, &c.

QVÆSTIO VII.

Quomodo ens contineat inferiora?

SECTIO I.

Adversaria sententia proponitur.

Prima sententia asserit, ens continere actum confuso sua inferiora. Sic Galetanus, Ferras